



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus II. vtrum adoptare conueniat toti Trinitati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

alicui cōferre suae naturae participationem, aut priorum bonorum suorum conferre communicationem: si enim hoc posset, reuera etiam dici posset adoptare imitando non filium suum naturalem, sed simpliciter & absolute naturalem filium secundum specificam rationem consideratum. Denique non est necesse ut diuina adoptio sit in omni- bus similis humanae adoptioni. Nam etiam homo non potest adoptare alium, nisi sit illi similis in specifica natura, quia nec inferiora animalia adoptionis capacia sunt, nec inferior natura potest superiorem adoptare. Deus autem ut aliquem adoptet, solum requirit in eo ut in gradu intellectuali secum conveniat, quia nec inferiorem creaturam adoptare potest, quia non est capax hereditatis eius, nec participationis diuinae naturae, eo quod non sit ad imaginem eius. Nec personam sibi aequalem adoptare potest, quia persona extranea esse non potest. Illa ergo ratio aequalitatis, vel similitudinis specificae non est per se in adoptione necessaria, licet in hominibus inueniatur propter specialem eorum conditionem, vel imperfecti- onem.

e. Tertia differentia in solutione ad tertium est, quia adoptio humana ad hoc ordinatur, ut filius succedat patri in hereditate, de oratione autem successionis est, ut altero decedente, seu deserente hereditatem, alius accedat, seu acquirat illam: at vero adoptio diuina non ordinatur ad successionem, sed ad communicationem, vel participationem eiusdem hereditatis. Est enim haec spiritualis hereditas, inquit Augustinus tractatu secundo in Ioannem, quae non sit angusta, si multi eam possederint: illi ipsi certe illo ipso possidente, sunt hereditas ipsius & ille vicissim sit hereditas ipsorum. Neque vero hoc repugnat cum veritate, & proprietate adoptionis, sed indicat potius infinitum esse illud bonum, ad quod homines adoptantur.

ARTICVLVS II.

Utrum adoptare conueniat toti Trinitati.

137.
3. d. 10. q. 2.
a. l. g. 2.
c. 3.



Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod adoptare non conueniat toti Trinitati. Adoptio enim dicitur in diuinis ad similitudinem rerum humanarum. Sed in rebus humanis soli illi conuenit adoptare, qui potest filios generare: quod in diuinis conuenit soli Patri. Ergo in diuinis solus Pater potest adoptare.

2. Præterea, Homines per adoptionem efficiuntur fratres Christi: secundum illud Roman. 8. Acceperunt spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater. Sed cum Deo dicimus, Pater noster, hoc pertinet ad totam Trinitatem: sicut & cetera nomina, quae dicuntur de Deo relative ad creaturam, ut in Prima parte habitum est*. Ergo adoptare conuenit toti Trinitati.

3. Præterea, Galatar. quarto dicitur, Misit Deus Filium suum, ut adoptionem filiorum Dei reciperemus: quoniam autem estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra, clamantem, Abba, pater. Ergo eius est adoptare, cuius est Filium, & spiritum sanctum habere. Sed hoc est solius personae Patris. Ergo adoptare conuenit soli personae Patris.

Sed contra. Eius est adoptare nos in filios, quem nos patrem possumus nominare. Unde dicitur Roman. 8. Acceperunt spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater. Sed cum Deo dicimus, Pater noster, hoc pertinet ad totam Trinitatem: sicut & cetera nomina, quae dicuntur de Deo relative ad creaturam, ut in Prima parte habitum est*. Ergo adoptare conuenit toti Trinitati.

Respondeo dicendum, quod haec est differentia inter fi-

1. p. q. 39.
a. 7.

lium Dei adoptium & naturalem, quod filius Dei naturalis est genitus, non factus: filius autem adoptiuus est factus, secundum illud Ioan. 1. Dedit ei potestatem filium Dei fieri. Dicitur tamen quandoque filius adoptiuus esse genitus propter spirituales regenerationem: quia est gratuita, non naturalis: unde dicitur Iacob. 1. Voluntarie genuit nos verbo veritatis. Quamuis autem generare in diuinis, sit proprium personae Patris, tamen facere quemcumque effectum in creaturis, est commune toti Trinitati propter unitatem naturae: quia ubi est una natura, oportet quod sit una virtus & una operatio. Unde Dominus dicit Ioan. 5. Quaecumque Pater facit, haec & Filius similiter facit. Et ideo adoptare homines in filios Dei, conuenit toti Trinitati.

Ad primum ergo dicendum, quod omnes personae humanae non sunt unius naturae secundum numerum, ut oportet unam esse omnium operationem tantum & unum effectum: sicut accidit in diuinis. Et ideo quantum ad hoc, non potest attendi similitudo utrobique.

Ad secundum dicendum, quod nos per adoptionem efficiuntur fratres Christi, quasi eundem patrem habentes cum ipso: qui tamen alio modo est Pater Christi, & alio modo est pater noster. Unde signanter Dominus Ioan. 20. scorsum dixit, Patrem meum: & scorsum dixit, Patrem vestrum: est enim Pater Christi, naturaliter generando: quod est proprium sibi. Est autem Pater noster voluntarie aliquid faciendo, quod est commune sibi & Filio & Spiritui sancto. Et ideo Christus non est filius totius Trinitatis, sicut nos.

Ad tertium dicendum, quod sicut dictum est*, filiatione adoptiua est quadam similitudo filiationis aeternae: sicut omnia quae in tempore facta sunt, similitudines quadam sunt coram, quae ab aeterno fuerunt. Assimilatur autem homo splendori aeterni filij, per gratia claritatem, quae attribuitur Spiritui sancto. Et ideo adoptio licet sit communis toti Trinitati: appropriatur tamen Patri ut auctori, Filio ut exemplari, Spiritui sancto ut imprimentum in nobis huius similitudinem exemplaris.

COMMENTARIVS.

Hic articulus non indiget expositione, constare enim hanc adoptionem esse opus Dei ad extra, & ideo commune esse omnibus personis diuinis, ut bene Diuus Thomas docet, quia omnia opera ad extra indiuisa sunt. Neque in hoc occurrit noua difficultas: Solutiones vero argumentorum Diui Thomae notandae valde sunt. In prima enim ponit aliam differentiam inter adoptionem diuinam, & humanam, quod in humana solus ille potest adoptare, qui potest generare, at vero in diuina, adoptant Filius, & Spiritus sanctus, etiam si generare non possunt. Haec tamen differentia videri potest non habere multum fundamentum in iure ciuili, nam secundum illud, etiam adoptare possunt, qui generare non possunt, s. Sed & illud, Instituta de adoptionibus, lege 2. ff. eodem, quia verò hae impotentia generandi in personis humanis est per accidens, & non ex propria conditione ipsius naturae: in diuinis autem per se, & ex propria perfectione ipsius naturae: prouenit, ut sola prima persona possit generare: ideo Diuus Thomas etiam in hoc voluit differentiam assignare inter diuinas, & humanas personas. Nam in omnibus diuinis personis est una indiuisa natura infinita, quae per unam tantum generationem communicari potest, & ideo in illa tantum esse potest vnus filius naturalis: at vero in hominibus multiplicatur naturae cum personis, & ideo per se loquendo quilibet posset generare. Reliqua in littera clara sunt.

ARTI-